

objectis non excludit penitus; cum Matth. 28. v. 20., ad Eph. 4. v. 11. et alibi doctores a Deo constituti habeantur. Similiter textus JOANNIS non negat absolute, instructionem esse necessariam, aut ad fideles confirmandos; cum hoc ipsum hic Apostolus revera præstet: sed certum duntaxat modum; quem nimirum vel in rudibus et ignavis tironibus imbuendis, vel in reductis ad pristina revocandis usurpare oportet. Præterea locutio hæc est vel sperantis, Parthos ita in rebus fidei fuisse instructos, ut doctore amplius non egeant, vel commendantis tum suam doctrinam illorum institutioni conformem, tum eorum diligentiam.

39. *Dico III.* Necessary ejusmodi interpres ac iudex non est spiritus privatus. *Prob.* Spiritus privatus haberi posset pro legitimo hujusmodi interprete ac iudice, vel quia ad salutem sufficit credere illa quæ quis ex Scriptura pro sua capacitate addiscit credenda, vel quia interior fidelis cujuslibet persuasio est idonea credendi regula: neutrum dici potest: ergo.

Prob. Min. 1° Opinio prior caret omni fundamento, sive ex Scriptura et traditione, sive ex ratione et moribus Ecclesiæ: inimica est integritati fidei; et Trinitatis, Incarnationis, aliorumque dogmatum ignorantiam facit innoxiam, quorum scilicet mysteria captum humanum superant: contraria est œconomiae divinæ, juxta quam ex 1^a ad Cor. 12. v. 8. et seqq. alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ; alii autem sermo scientiæ;.... alii Interpretatio Scripturarum; non autem omnibus: Numquid omnes doctores? Numquid omnes interpretantur? aliena est ab institutione CHRISTI, Apostolis Matth. 28. v. 19. imperantis: *Euntes docete omnes gentes.... docentes eos servare omnia, quæcumque mandavi vobis;* repugnat disciplinæ Apostolicæ 1^a ad Cor. 14. v. 33. præscribenti mulieribus, *Si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent:* frustrat Ecclesiæ docentis sollicitudinem, Conciliorum definitivam auctoritatem, Hierarchiæ ordinem, aliaque salutis media.

Prob. 2° Legitima Scripturæ interpretatio debet fieri Spiritu divino; tum quia, quo Spiritu scriptum est verbum Dei, eodem est exponendum: tum quia ex 2^a PET. 1. v. 20. *Omnis prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit.* Sed spiritus privatus, si consideratur ut communis et omnibus inest, divinus esse non potest; cum diversis diversa dictet, Spiritus autem Dei contrarius sibi esse nequeat; si autem consideratur ut est alicui specialis, sine revelatione alia incertum est an sit divinus; tum quia dari pseudoprophetas, et qui sequuntur spiritum suum, et nihil vident, docemur ab Ezech. 13. v. 3. et Christo Matth. 24. v. 11. et seqq.; tum quia ab Apostolo monemur 1. JOAN. 4. v. 1. *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sint:* Etsi autem et habenti veritatis spiritum hoc certum foret; is tamen ad fidem aliis faciendam non est idoneus, nisi accedat Ecclesiæ auctoritas, ut ex communicato cum Apostolis Evangelio suo Paulus ad Gal. 2. v. 2. ostendit, et Ave. L. 28. cont. Faust. C. 4. arguit: *Quis est ergo tam demens, ut credat nescio cui ex transverso de Perside post ducentos et amplius annos venienti... cum ipse Apostolus Paulus post ascensionem Domini de celo vocatus, si non inveniret in carne Apostolos, quibus communicando et cum quibus conferendo Evangelium, ejusdem societatis esse appareret, Ecclesia illi omnino non crederet.*

40. *Objic.* Jubemur ipsi examinare omnia: et probis promittitur veritatis revelatio. *Primum* patet ex 1^a ad Thess. 5. v. 21. *Omnia probate: quod bonum est, tenete;* ex 1^a JOAN. 4. v. 1. *Probate spiritus, si ex Deo sint:* item *secundum* ex Luc. 11. v. 13. *Pater vester de celo dabit Spiritum bonum petentibus se;* et Joan. 7. v. 17. *Si quis voluerit voluntatem ejus facere, cognoscat de doctrina, utrum ex Deo sit.* Ergo.

R. ad Arg. 1° *D.* Jubemur ipsi (sc. qui sensus exercitatos, ut ad Hebr. 5. v. 12. indicatur, aut donum discretionis spirituum habent,) examinare omnia, C. omnes et quicumque N. vel *Subd.* secundum criterium nostrum, N. secundum regulam fidei, C. Alterutrum distinctionis membrum pertinet ad testimonia laudata, maxime postremum, de quo ipsum JOANNIS cap. allatum pro regula fidei assignat Apostolorum et Ecclesiæ doctrinam. 2° *D.* Promittitur veritatis revelatio mere interna, et excludendo magisterium externum, N. hoc non excludendo, nec modum cognoscendi determinando. T. Siquidem textus prior de doctrina speciatim haud loquitur; posterior autem de Christi suam doctrinam aliunde probantis eloquio duntaxat agit.

Inst. 1. Fidelibus et spiritualibus asseritur facultas discernendi sensum Scripturarum. Scribitur enim ad Rom. 12. v. 6. *Habentes autem donationes secundum gratiam quæ data est nobis differentes, sive prophetiam secundum rationem fidei, sive etc.* Item 1. ad Cor. 2. v. 13. *Animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei: spiritualis autem judicat omnia, et ipse a nemine judicatur.* Ergo.

R. D. Fidelibus et spiritualibus omnibus, et sine muneris donique discrimine asseritur facultas discernendi sensum Scripturarum, N. aliquibus, et pro singulari personarum qualitate, T. Præterquam enim, quod non omnes tantam fidem habeant et spirituales in memorato sensu sint; textus *primus* non significat prophetiam (sive ea dicatur vaticinandi sive Scripturam interpretandi donum) distribui pro magnitudine fidei, quam quisvis habet, ut objectio contendit; cum multi magna fide præditi careant penitus hac gratia gratis data: sed agit de usu hujus doni, et præscribit canonem, secundum quem nemo sive vates, sive interpres haberi aut suscipi possit, nisi cum fide fideique regulis congruat; contra ac pseudoprophetae et hæretici faciunt. *Secundus* etiam soli quidem spirituali illam facultatem tribuit, sed non omni; docetque nihil valere carnis prudentiam in judicanda pietatis doctrina, eamque censuram ac jus illud residere penes unum Dei Spiritum: verum hunc spiritum dari omnibus neque hic neque alibi declaratur.

Inst. 2. Deus solus docet, et quilibet intelligit vocem Dei, juxta Matth. 23. v. 8. *Vos autem nolite vocari Rabbi; unus est enim magister vester, sc. Christus, omnes autem vos fratres estis;* et Joan. 10. v. 27, *Oves meæ vocem meam audiunt; et ego cognosco eas, et sequuntur me.* Ergo.

R. N. A. ad quod probandum allati textus non faciunt. Nam *primus* CHRISTUM quidem solum declarat magistrum ejusmodi, qui sit fidei auctor et religionis fundator, prohibetque Judæorum more Apostolos fieri sectarum et dogmatum fabricatores: adeo tamen non vetat esse communis dogmatis nuntios et unius religionis propagatores, ut potius apertis mandatis ad id officii eos designarit: quin et Doctoris nomen in Ecclesia Dei Apostolis, Prophetis ac Pastoribus semper proprium et usu commune fuit; distincti autem ab his etiam Doctores, Act. 13. ad Eph. 4. et 1. ad Cor. 12. alibique cele-

brantur. *Secundus* de prædestinatorum divino ductu et obedientia, non autem de Scripturarum intelligentia loquitur : si tamen de hoc forsitan accipiat, modum loquendi specialem sicut non exprimit, sic nec excludit : quare cum ille modus a Deo institutus sit et familiaris, qui per os Ecclesiæ, vicarios Christi et Apostolorum successores perficitur, objectionis scopo obest potius, quam prosit.

41. *Dico IV.* Neque interpres aut iudex ille est magistratus politicus, sed Ecclesia. *Prob.* Dubia circa Scripturam solvenda habent pro materia Verbum Dei seu legem superioris ; pro fine divinam fidem seu assensum certissimum ; adeoque ut interpres et iudex agat valide, debet esse auctoritate divina munitus, aut saltem divinitus ad hanc causam deputatus : ut agat licite et utiliter, immunem eum ab errore et fallacia esse oportet. Sed neutra conditio convenit magistratui politico ; ut in Tr. de Legibus ostenditur ; utraque autem propria est Ecclesiæ Catholicæ ; ut in Disputatione sequente probabitur ; ergo. Vide ibidem probationes ampliores una cum vindictis.

42. *Observe.* Locuti hactenus sumus de interpretatione Scripturæ authenticæ, eamque auctoritatem tribuimus, non descendendo ad subjectum immediatum, penes quod in Ecclesia illa facultas resideat : prius quidem, quia hæc solum interpretatio objectum fidei constituit posterius ; quia, ad fidem hoc interim sufficit. Sicut vero præter *authenticam* interpretationem legum datur alia quæ, quod a Doctoribus vel rerum gnaris fiat, *doctrinalis* vocatur ; sic eadem circa Scripturam in usu est, et ut a nobis breviter attingatur, meretur. Quoniam vero in *Scriptura polemica explicata* tum canones quidam generales pro genuino Scripturæ sensu dati sunt, tum varia adjumenta sunt allata ; ita scriptionem moderabimur, ut non repetamus, quæ de notitia chronologiæ, monetarum, mensurarum, ac ponderum, aut de tropis et figuris aut de linguæ hebraicæ et græcæ idiotismis dicta sunt : quæ vero in canonibus nimis adstricta videntur, amplius explicemus, et quorundam aliorum notitiam adjiciamus.

QUÆRES. Quænam ad doctrinalem Scripturæ sacræ interpretationem faciant ?

43. *Nota.* Ad rite intelligendam Scripturam sacram et exponendam, sicut in disciplinis omnibus, ars continetur in regulis, exemplum datur ab Interpretibus : utrumque juvant dispositio legentis et methodus lectionis. De singulis pro instituto breviter.

44. *Respondeo I.* Dispositiones animi pro legendis et exponendis Scripturis requisitæ, aliæ sunt remotæ, aliæ proximæ. *Remotæ* sunt 1. Puritas cordis ; in malevolam enim animam aut corpus subditum peccatis sapientia non introibit : 2. Oratio ; quia non nisi postulantis et orantibus sapientia promittitur : 3. Intentio recta ; cum eo, quo Spiritu facta est Scriptura (ad manifestandam scilicet Dei, ejusque voluntatis ac veritatis cognitionem) perscrutanda sit. *Proximæ* sunt 1. Humilitas ; qua ratio subiciatur fidei, opinandique libido et philautia frænatur : 2. Simplicitas ; qua excludatur curiositas aut noxia aut inutilis : 3. Sedulitas ; qua vincatur torpor ac tædium,

excitetur attentio et meditatio : 4. Moderatio, qua tum festinatio tum morositas nimia debite coerceatur.

45. *Respondeo II.* Methodus legendi sacram Scripturam stat in triplici ordine. 1^{us} ordo est librorum : secundum quem universim ante vetus Testamentum est legendum novum, tanquam scopus et interpres veteris : speciatim autem tanquam faciliores præmittendi sunt historici, tum subjiciendi legales, his addendi sapientiales, postremo sequuntur prophetici. 2^{us} est lectionis, quæ faciendæ est primum ad notitiam, neeum inhærendo difficultatibus sive litteræ sive mysterii : deinde repetenda est ad pleniorum cognitionem, litteralem sensum omni ex parte versando, tum mysticum indagando. 3^{us} est adjumentorum, quæ sub initium capiendæ sunt ex synopsis et concordii ; dein augenda notis grammaticis, chronologicis et geographicis ; tandem amplificanda commentariis et disquisitionibus particularibus.

46. *Respondeo III.* Regulæ pro interpretandis Scripturis aliæ communes sunt libris sacris omnibus, aliæ speciales, seu his illiusve libris propriæ. Ex communibus distinguimus regulas pro sensu literali ab aliis pro sensu mystico : speciales ad Prophetias, Psalmos et Evangelia restringimus.

Regulæ pro sensu literali. I. Omnis locutio propria proprie, figurata figurate accipitur. II. Vox omnis et locutio accipiendæ est proprie, nisi necessitas aliqua cogat accipere eam improprie. III. Necessitas est accipiendi vocem aut locutionem improprie, si proprie accepta vel asserat aliquid repugnans aut fidei, aut Dei hominumve charitati, aut honestati morum ; vel contextui et circumstantiis non congruat. IV. Ob repugnantiam cum fide accipiendus improprie est sermo : 1. qui Deo tribuit humana sive membra, sive officia, sive affectiones ; 2. qui de Christo vel Ecclesia enuntiat prædicata ex rebus inanitate vel irrationalibus desumpta ; vel statum, negotia aut actiones ad seculi normam describit ; 3. qui felicitatem, potestatem, ornatum, victum aliaque justorum sub rebus corporalibus proponit. V. Ob repugnantiam cum charitate aut honestate improprie accipiendus est sermo : 1. qui sævum quid et asperum sive contra se sive contra proximum jubere videtur ; 2. qui molle quid aut carnale videtur præcipere aut commendare ; 3. qui alterutrum a viris sanctis factum laudare vel imitandum proponere videtur.

Regulæ pro sensu mystico. I. Neque nimis vaga et libera sit sacrarum litterarum interpretatio mystica, neque nimium restricta : certa est, quam Christus ipse et Apostoli fecerunt ; probabilis saltem, quam usurparunt Patres. II. Res visibiles sic creavit Deus, ut non solum humanis usibus servirent, sed suis etiam proprietatibus adumbrarent res spirituales et cœlestes ; unde plerisque præter litteralem unus vel plures sensus mystici convenire possunt. III. Deus per vetus Testamentum aliud nos docere voluit quam meras historias. IV. Omnia antiqui fœderis contingebant quidem in figuris ; in omnibus tamen omnino circumstantiis aut partibus scrutari mysteria vanum est aut noxium. V. Personæ vet. Test. celebres multæ significabant allegorice Christum, Israeliticus populus in multis Ecclesiam. VI. Historiæ, Ceremoniæ, Sacrificia, Ritus, Judicia V. T. præceptaque de iisdem præter sensum allegoricum sæpe habent etiam moralem et anagogicum.

Regula pro Prophetiis. I. Non omnia Prophetarum dicta et facta sic ad futura referri debent, ut sui temporis historiam et populi salutem eos neglexisse putemus. II. Prophetæ historiam præteritam vel præsentem recitantes, aut futuram prænuntiantes, sæpe jungunt prophetiam de Christo et Ecclesia, facto transitu de littera ad spiritum. III. Hic transitus certo adest, ubi dicta superant modum, qualitatem et ordinem personarum ac rerum quæ tractantur: si non superent, de utroque, figura et figurato, eadem verba intelligi possunt. IV. Sub eodem contextu transeunt Prophetæ de verbis præteriti temporis ad verba futuri et præsentis, aut e contrario, quin de diverso tempore loquantur: euntque ac redeunt ad res promiscue mixtimque traditas, absque servato ordine. V. Prophetiæ eadem sententiarum serie conscriptæ non semper totæ eodem tempore complentur, sed paulatim et secundum temporum successiones.

Regula pro Psalmis. I. Frequentes sunt in Psalmis repetitiones, sive iisdem sive aliis verbis: e contrario nec raræ sunt mutationes personarum, sive quæ loquuntur, sive de quibus et ad quas fit sermo. II. David in psalmis loquens plerumque gerit figuram Christi aut Ecclesiæ. III. Cum Christus loquitur, vel intelligendus est totus ac plenus, hoc est, et ipse tanquam caput, et ejus corpus quod est Ecclesia; vel ex persona solius capitis aut solius corporis. IV. Corpus Christi rursus vel sumitur plenum ac integrum, pro omnibus scilicet membris, h. e. justis et peccatoribus, perfectis et imperfectis, fortibus et infirmis, tribulatione afflictis et solatio recreatis etc.; vel pro uno aut altero membro. V. Personæ Christi et Ecclesiæ opponitur dæmon et perversorum turba; qui ad rationem priorum varie accipiuntur, dum David de vi et persecutione, bellis et periculis hostium loquitur.

Regula pro Evangeliiis. I. Evangelistæ tum testimonia vel Testamenti, tum gesta et dicta suæ historiæ nonnunquam referunt diversis verbis, quam ab antiquis et coævis scriptoribus sacris fuerint relata; quia ad res et sententias præcipue attenderunt. II. Evangelistarum quisque aliqua prætermittit, quæ alius recitat: et unus has, alter illas circumstantias narrat; pro ratione scilicet cuius propria, et absque contradictione. III. Ubi quidpiam ab uno Evangelista narratur, cui simile etiam refertur ab altero, sed ita ut in uno alterove puncto appareat contradictio quæ conciliari nequeat, utrumque factum reipsa esse, et aliud ab alio commemoratum, teneatur. IV. Dum Evangelistæ in sermonis continuatione utuntur verbis, *in illo tempore, tunc, postea*, aut similibus, indicant quidem, quæ narrantur facta fuisse consequenter, non autem continuo; si nulla temporis consequentis differentia exprimitur, de re tantum facta, non item de serie factorum, certi reddimur: cum Evangelistæ non raro rerum, quas gestas narrant, ordinem negligant, prius factum referendo posterius, aut e contra. V. In parabolis præcipue attendatur ad scopum et intentionem, propter quam illæ proferuntur: reliqua earum adjuncta ornatum narrationis faciunt, mysterium autem sensus non habent, nec explicationis necessitatem imponunt.

47. *Respondeo IV.* Interpretes, qui in enarrandis et exponendis Scripturis sacris operam posuerunt, in varias classes distingui possunt. 1^o quidem secundum sensum quem sectantur, in Litterales et Morales: 2^o secundum methodum quam tenent, in Abbreviatores, Annotatores, Disputatores, Com-

mentatores, Rapsodos seu Collectores etc. 3^o secundum materiam quam tractant, in Universales et Particulares, prout nempe vel totam Scripturam, vel partem ejus aut unum pluresve tantum libros exposuerunt: 4^o secundum tempus, in Antiquos, Medii ævi, et Recentiores. Syllabum eorundem aliquem daturi, omnium harum classium rationem aliqualem habebimus: ita tamen ut celebriores duntaxat referamus, et quidem qui vel in universam Scripturam, vel saltem in totum Vetus aut Novum Testamentum scripserunt: quod postremum litteris initialibus indicabimus. Placuit autem ob conformitatem cum posterioribus ordinem chronologicum sectari, et ad periculum avertendum Interpretes Heterodoxos litteris majoribus distinguere, dum Catholici et Judæi minoribus notabuntur.

SECULUM I. ET II. Jonathan filius Uzielis, Onkelos et Joseph cæcus scripserunt Targum, h. e. Translationem et Paraphrasin Chaldaeo sermone in V. T. Philo Libros continuæ Explicationis, Quæstionum et Propositionum in V. T. Flavius Josephus in Libris de Antiquitatibus Judaicis continuam velut Paraphrasin in V. T.

SEC. III. T. Flavius Clemens Alexandrinus in Libris Hypotyposeon seu informationum compendiarum Expositionem. Ammonius Alexandrinus Consontaniam Moysis et Jesu ac Harmoniam Evangelicorum in N. T. Adamantius Origenes Scholia, Homilias et Tomos.

SEC. IV. Diodorus Ep. Tarsensis Volumina. Dorotheus Ep. Tyri Synopsis. Athanasius Ep. Alexandrinus Synopsis, Commentarios, Sermones. Eusebius Ep. Cæsariensis Collectiones, Expositiones, Canones. Asterius Scythopolitanus Commentarios in N. T. Ambrosius Ep. Mediolanensis Sermones, Homilias, Libros. Didymus Alexandrinus Opera allegorica.

SEC. V. Joannes Chrysostomus Ep. Constantinopolitanus Commentarios et Homilias. Hieronymus Presbyter Translationes, Annotationes, Commentarios et Epistolas. Oresius Monachus Ægyptus Dissertationes. Aurelius Augustinus Ep. Hipponensis Annotationes, Quæstiones, Disputationes, et Expositiones. Cyrillus Ep. Alexandrinus Homilias, Epistolas, Commentarios et Disputationes. Eucherius Ep. Lugdunensis Quæstiones. Isidorus Pelusiota Expositiones epistolares. Theodoretus Ep. Cyri Isagogen et Commentarios.

SEC. VI. Fulgentius Ep. Ruspensis Volumen sermonum. Aurelius Cassiodorus Memoriale, h. e. Compendium Scripturæ, Commentarios et Annotationes. Maximus Confessor Quæstiones, Expositiones, Sermones.

SEC. VII. Gregorius Magnus P. M. Commentarios et Homilias. Paterius Explanationes ex LL. Gregorii M. excerptas. Isidorus Ep. Hispalensis Compendium Allegoriarum et Explanationes.

SEC. VIII. Beda Presbyter, cognom. Venerabilis, Rapsodias, Quæstiones, Homilias, Commentarios. Flaccus Albinus sive Alcuinus Commentariolum, Libros et Homilias. Athanasius junior Quæstiones.

SEC. IX. Walafridus Strabo O. S. B. Commentarios perpetuos, qui Glossa ordinaria vocantur. Haymo Ep. Halberstadianus Commentarios et Homilias. Rabanus Maurus Archiep. Moguntinus Commentarios.

SEC. X. Olympiodorus Commentarios in V. T. Oecumenius Catenam, h. e. explanationes ex Patrum sententiis collectas in N. T. Alfricus Anglus, cogn. Grammaticus Tractatus et Sermones.

SEC. XI. Moyses Maimonides et Salomon Jarchi Commentarios in V. T. Theophylactus Archiep. Bulgariae Commentarios ex Joan. Chrysostomo compilatos in N. T. Anselmus Archiep. Cantuariensis Commentarios et Homilias in plerosque V. T. libros. Alfius O. S. B. Commentarios e Gregorio M. collectos in N. T.

SEC. XII. Anselmus Laudunensis Explicationes, quas Glossam interlinearem vocant. Hugo Victorinus Annotationes, Quæstiones, Homilias, Commentarios et Miscellanea.

Rupertus Abbas Tuitiensis Commentarios maxime allegoricos: Richardus Victorinus Epitomen. Petrus Cantor Commentarios, quos Glossam scholasticam dicunt.

SEC. XIII. Aben Ezra Commentarios in V. T. Alexander Hallensis Postillam scholasticam. Hugo de S. Charo Card. Commentarios et Concordantias Biblicas. Petrus Berthorius O. S. B. Reductorium, Repertorium, Inductorium et Breviarium Biblicum. Thomas Aquinas Catenam Auream et Lectiones in N. T. Ægidius Archiep. Bituricensis Explanaciones.

SEC. XIV. Alanus Insulensis Oculum h. e. Compendium sacræ Scripturæ. Petrus Verberius Card. Breviarium Bibl. Nicolaus de Lyra O. S. F. Commentarios breves, quos Postillas vocant. Franciscus Maronius Postillas Annotationum. Augustinus Ancoras O. Erem. Libros Postillares. Petrus Paludanus Postillam. David Kimchi et Levi Gersonides Commentarios in V. T. Joannes Bacco Commentarios in N. T. Sertorius Fontanerus Archiep. Ravennatensis Explanaciones. Joannes O. S. B. Breviarium Bibl. Nicolaus Goranus O. Præd. Commentarios breves.

SEC. XV. Jacobus Magnus O. Erem. Annotationes. Petrus Joannis O. S. F. Postillas. Bartholomæus Urbinas O. Erem. Explanaciones ex sententiis S. Augustini decerptas. Dionysius Carthusianus Commentarios. Bernardinus Abbas Camaldulensis Opus Annotationum.

SEC. XVI. Felix Pratensis Biblia Rabbinica, h. e. cum Commentariis Rabbinorum in V. T. Augustinus Ep. Nebiensis Annotationes in Octaplis ad V. T. Franciscus Titelmannus Elucidationes Paraphrasticas in N. T. SEBASTIANUS MUNSTERUS Annotationes. CONRADUS PELLICANUS Commentarios. Nicolaus Tacitus O. S. F. Castigationes et Scholia in N. T. Isidorus Clarius Ep. Fulginatensis Scholia. MICHAEL VILLANOVANUS, h. e. SERVETUS Annotationes. Joannes Gagnæus Scholia in N. T. Nephtali Ben-Aser Commentarios in V. T. Joannes Benedictus Scholia. Sixtus Senensis O. Præd. Bibliothecam sacram, Quæstiones et Homilias. Lovanienses Doctores Annotationes in Bibliis Antuerpiensibus. Franciscus Vatablus Annotationes Salmanticae impressas. Emmanuel Sa. S. J. Annotationes. Alphonsus Salmeron S. J. Commentarios.

SEC. XVII. JOANNES DRUBIUS Observationes, Lectiones, Commentarios et Animadversiones. JOANNES PISCATOR Commentarios. Nicolaus Serarius S. J. Prolegomena et Commentarios. Franciscus Lucas, cogn. Brugensis, Annotationes, Commentarios, Notas. Joannes Mariana S. J. Scholia seu Notas breves. Franciscus Haræus Scholia et Catenam. Jacobus Gordonus S. J., Jacobus Tirinus S. J., et Cornelius a Lapide S. J. Commentarios. LUDOVICUS de DIEU Commentarium et Animadversiones. Joannes Menochius S. J. Explicationem brevem sensus litteralis. JOANNES LIGHTFOOT Harmoniam, Animadversiones et Commentarios. Antonius Vitri. Notas. Antonius Escobar de Mendoza S. J. Commentarios. HUGO GROTIUS Notas. MATTHEUS POLUS Synopsis Criticorum, Interpretum et Commentatorum sacræ Scripturæ. Joannes de Silveira Carm. Commentarios in N. T.

SEC. XVIII. Joannes Baptista du Hamel Notas. JOANNES CLERICUS Commentarios et animadversiones. Michael Mauduit, Presb. Orat. Analysis in N. T. Augustinus Calmet O. S. B. Commentarium Litterale, Dissertationes et Dictionarium Biblicum. Natalis Alexander O. Præd. Commentarium in N. T. Petr. Lallemand S. J. Observationes et Notas in N. T. Cesar Calinus S. J. Tractatum Historicum, Chronologicum V. et N. Testamenti. Præsides Sodalitatis Bambergensis Libellis Xenialibus Explicationem et Paraphrasin.

48. *Observe.* Quæ hactenus de adjumentis ad sacram Scripturam intelligendam et interpretandam adduximus, confirmata et amplius deducta invenire licet partim in S. Augustini libris de Christiana Doctrina et Consensu Evangelistarum, atque Psalmorum explanationibus; partim in Bibliotheca sacra Sixti Senensis, Prolegomenis Serarii, ac de la Raye et Walloni in Scripturam, nec non Tractatu Mabillonii de Studiis Monasticis, et Calmeti præmissa Dictionario Bibliotheca: in qua postrema, qui Interpretes singulares in singulos Scripturæ libros desiderat, adornatum eorum catalogum habet.

ARTICULUS VI.

An lectio sacræ Scripturæ in lingua vulgari omnibus passim sit licita?

49. *Nota.* Catholicorum nemo est qui neget Scripturam sacram esse librum cujus lectio in sese sancta sit et utilis; quæque omnibus proinde hominibus, cujuscumque ætatis, sexus et conditionis, per se loquendo, non tantum permitti, sed etiam suaderi proponique possit. Ex quo factum est, ut multiplex Bibliorum in linguas vernaculas versio præstantissimis Episcopis ipsis vel auctoribus vel suffragatoribus primum susciperetur. Posterioribus tamen seculis abusus rem quantumvis optimam in vitium et noxam vertit; eo quod vel hæretici ad tuendos suos errores, corruptas versiones vulgares per malitiam legentibus obtruderent, vel lectores minus aut prave dispositi sive per ignorantiam, sive per ferneritatem, sive per superbiam, ex traductionibus quantumlibet integris errores tum fidei tum morum haurirent.

Occursuri huic malo Patres a TRIDENTINO Sess. 18. an. 1562. die 26. febr. celebrata, ad Indicem librorum prohibitorum concinnandum deputati, inter regulas quas adjunxerant huic operi sibi demandato, et teste decreto Sess. 25 an. 1563. die 3. et 4. decembr. celebratæ, Concilio obtulerant, scripserunt hanc ordine quartam: *Cum experimento manifestum sit, si sacra Biblia vulgari lingua passim sine discrimine permittantur, plus inde ob hominum temeritatem detrimenti quam utilitatis oriri; hac in parte judicio Episcopi aut Inquisitoris stetur, ut cum consilio Parochi vel Confessorii, Bibliorum a Catholicis Auctoribus versorum lectionem vulgari lingua eis concedere possint, quos intellexerint ex hujusmodi lectione non damnum, sed fidei atque pietatis augmentum capere posse: quam facultatem in scriptis habeant. Qui autem absque tali facultate ea legere seu habere præsumperit, nisi prius Bibliis Ordinario redditis, peccatorum absolutionem percipere non possit. Bibliopola vero, qui prædictam facultatem non habentes, Biblia idiomate vulgari conscripta vendiderint, vel alio quovis modo concesserint, librorum pretium, in usus pios ab Episcopo convertendum, amittant; aliisque poenis pro delicti qualitate, ejusdem Episcopi arbitrio, subjaceant. Regulares vero, non nisi facultate a Prælati suis habita, ea legere aut emere possint.*

Hæc constitutio quam contrarie opponebatur hæreticorum tum temporis doctrinæ, praxi ac intentioni, tam acerbas et atroces eorum oppugnationes concitavit: quarum exempla videre licet in CALVINI Commentariis ad Isa. C. 48. et ad ep. I. Petri, in Brentii Confess. Wittenberg. de S. Script., in Kemnitii Examine Conc. Tyrid., in Gomari, Chamierii, aliorumque operibus. QUESNELLUS sicut eosdem in obtrudenda lectoribus versione corrupta est imitatus, sic et eorum armis sua sociavit in propositionibus, quarum in Bulla *Unigenitus* damnatarum hic ordo est et tenor. Prop. 79. *Utile et necessarium est omni tempore, omni loco, et omni personarum generi, studere et cognoscere spiritum, pietatem et mysteria sacræ Scripturæ.* 80. *Lectio sacræ Scripturæ est pro omnibus.* 81. *Obscuritas sancta verbi Dei non est laicis ratio dispensandi seipsos ab ejus lectione.* 82. *Dies dominicus a christianis debet sanctificari lectionibus pietatis, et super omnia, sanctarum Scripturarum. Damnosus est, velle christianum ab hac lectione retrahere.* 83. *Est illusio sibi persuadere,*